



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IV. Impia Machiauelli doctrina refellitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Sic viuimus, ut deprehendi sit, subito adspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxiosa, atque sollicita est. Si honesta sunt quae facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire cum tu scias? O te miserum si conuenis hunc testem.

Virtutem igitur colite, cuius haec etiam est praerogatiua, ut qui eam non imitantur, tamen admittantur & suspiciantur, ut calamitate non tollatur, sed inter utramque fortunam immobilis persistat.

CAPVT IV.

Impia Machiaueli doctrina refellitur.

VITIA in proclui sunt, cadere nemo docet, & tamen quotidiani sunt lapsus. **V**ITIA magistro opus non habent; quia exempla obuios semper ferunt, omne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles fumus; quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite, praecipit. Non proxi fumus ad vitia tantum sed etiam praecipites. Immo ut exprobrat Demettriano Cyprianus: Inter ipsa aduersa, quibus vix coartata & conclusa anima respirat, vacat malos esse, & in periculis tantis non de te magis, sed de altero iudicare. Indignantini indignari Deum, quasi aliquid boni male viuendo mereamini, quasi non omnia ista, quae accidunt, minora adhuc sint, & leuiora peccatis vestris.

Turpis vitiorum doctor Machiauelus. Verum hoc peculiare malum est nostri saeculi, habere publicum vitiorum doctorem, & suffragantibus multorum moribus etiam celebrem. Ille est Machiauelus. Qui ita principem ad virtutem instituit, ut tamen & vitia permittat, & virtutibus illa velut regno vtiliora anteponat. Eum igitur audiamus. In principe, cap. 15. Nemo, inquit, non satebitur scio, fore rem summis laudibus celebrandam, si omnibus his princeps esset ornatus, quae ex iam dictis bona existimantur.

Vitia noxia sunt omnia. Verum cum nec haberi, nec aduersante humana vita conditione, seruari possint, necessarium est vi et prudentia, quae eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimmi possit. Caveat etiam ab iis, si fieri possit, quae nihilominus non auferent: sed si effici non possit, minore detrimento omitti possint. Nec multum sane laborat, si in eorum vitiorum infamiam incurrat, sine quibus dominatum facile tueri possit.

Peccata qui vitia aestimat infra Philosophos est. Nam si diligenter animo usquequaque reputabitur, reperiuntur quadam, quae virtutem praese ferre dicantur, quae tamen si sequaris, id tuo magno malo fit: contra vero nonnulla deprehenduntur a spectu vitiosae, quae si assumas, in tuam securitatem, & incolumitatem sinu reditura. Et cap. 16. Atque iterum si quis diceret multos exiisse principes, qui suis exercitiis res magnas gesserunt, qui tamen illa beneficentia excelluerunt: dicendum est Principem vel de suis, vel de aliorum bonis sumptus facere.

Si primum, parcus esse debet: si secundum, necesse est ut nullam partem libertatis praetermittat. Atqui Principi in expeditionem exercitus ducenti (qui exercitus praeda, direptionibus, tributis sint alendi) alienaque tractanti, necessaria est haec liberalitas, alioquin milites illum non sequerentur. Quod autem non est tuum, nec tui populi, id liberalius conferri potest: uti a Cyro, Cesare, & Alexandro factum constat. Non enim id, quod de alienis bonis infamis, tibi existimationem adimit, imo cumulatiorem reddit: sed a propriis opibus absumptis tibi detrimentum venit.

Hannibal felicitatem ex secuta esset adit. Cap. 17. Suadet ut id agat, ut potius metuant, quam ament. Et principi ait, iam in exercitu versanti, atque multitudinis procuratiorem habenti, omnino statuendum est, ut inhumanitatis nomen pro nihilo ducat. Itaque etiam gestas res Hannibal illius efferae facitiae tribuit. Cap. 18. Fallere etiam docet, & simulare.

Haec pronis auribus hauriuntur, quae olim etiam sine doctore peragebantur, sunt tamen omnino falsa, & reipublicae perniciose, de quibus hoc, & sequenti libro saepius agendum erit.

S. 2. Nunc ex eo ipso contra ipsum agam. Lib. de rep. cap. 9. Bono euentu, qui ex cade Remi secutus est, factum Romuli putat excusari. Statuamus haec in mores induci, ipsumque Machiauelum occidi, ut eius collega solus sit Florentinae Reipublicae a secretis. Sit etiam ius alios occidere, rapere, peierare regni causa, nec modo hoc regibus, sed praetoribus, senatoribus, nobilibus concedamus, quae potest esse pax in tanta perturbatione Reipublicae? Decidat sententiam ipse, cap. 17. contra semet disertus. Nisi reges flammis fuissent expulsi Roma, necesse erat, ut mihi certe videtur, urbem debilitari, & pristinae virtutem roburque amittere. Considera enim quam prauis corruptisque moribus essent iam tum reges illi. Quod si eadem corruptela ad tertium usque successorem propagata fuisset, facile serpsisset etiam in populum, eoque infecto, nunquam potuisset ciuitas restaurari, & vires, virtutemque suam recuperare. Sed quoniam perniciem hac occupauerat quidem Reip. caput, membra cetera nondum infecta erant: porro, sublato pernicioso illo capite, reliqua membra sanari, & paria libertas conseruari. Pro certo enim statuere oportet, ciuitatem eam, quae principis imperio consueuerit parere, & in qua mores hominum plane sunt deprauati, non posse conseruare sibi libertatem, si eam occupauerit, ne quidem si vniuersa eius principis familia extirpetur: sed subinde nouis Dominis parere cogetur, qui se mutuo expellent: absque principe vero nunquam subsistet: nisi vnus aliquis forte in ea ciuis, extiterit: cuius tum virtus heroica, tum bonitas illam aliquandiu conseruet. Sed neque id quidem diutius durare poterit, quam vita eius, qui illam conseruat: ut Syracusanis occidisse nouimus: qui Dionis, & Timoleontis virtute diuersis temporibus libertatem conseruauerunt: sed iis vita fundis, sub antiquum tyrannidis iugum redierunt. Omnium vero euidentissimum est exemplum Romanorum, qui eiectis Tarquinis, rationem conseruanda libertatis statim apprehenderunt: sed interempto C. Cesare, sublatoque C. Caligula, atque Nerone, vna cum tota Caesarum stirpe, nec conseruare libertatem, nec eius aliquod principium introducere potuerunt. Cuius diuersitatis ratio ex eo tantum pendebat, quod Tarquiniorum tempore non essent corrupti populi Romani mores, sicuti postea C. Caesaris, Caligulae, atque Neronis aetate fuerunt. Id autem vel ex eo colligere potes, quod tunc ad conseruandum populi aduersus tyrannidem studium sufficiebat insurandum, quo iurauit nunquam se conseruaturum, ut quis Roma regnaret: sed interfecto C. Cesare, nec Bruti autoritas, atque seueritas, neque legiones ad Orientem dispositae, populum permouere potuerunt, ut libertatem quam ad primi illius Bruti imitationem in urbem introduxerat, constanti firmoque animo defenderet. Tanta scilicet corruptela infecti iam erant populi Romani mores, praesertim eorum, qui Mariana factionis fuissent: in qua cum C. Caesar principatum obtinisset, plebem sibi conciliauerat, sensimque subiecerat, tanto artificio, ut iugum quod ceruicibus eorum imponebatur, non sentirent. Hoc Romanorum exemplum propositae disputationi conuenientissimum est: sed neque desunt exempla eorum populi, quibus id quod Romanis, nostra quoque aetate accidit.

Nam Mediolanenses & Neapolitani, quocumque modo seruitutis iugo liberentur, libertatem nunquam conseruare possunt: idque illis accidit ob deprauatos corruptosque omnium mores. Mediolanenses ipsi, mortuo Philippo vicecomite libertatem conseruauerunt: sed conseruare non potuerunt. Romanis ergo faustum fortunatumque fuit, quod eorum reges mox inolescere, & deprauatis moribus esse coeperint: nam ita factum est, ut expulsi fuerint antequam illa morum corruptela etiam in populum serpere orueret: quae si eum etiam infectisset, non potuissent tota plebs senatusque contentiones postmodum erige, tam felicem finem sortiri, ut urbi profuerint potius, quam damnum vllum attulerint.

Virtute sublara non potest tolli libertas.

Vnius virtus magni, sed breue subsidium libertatis.

Improbabilium nobilium populorum accusatio.

Bona leges
sine bono
custode ma-
nere non
possunt.

Vitia con-
sistere non
possunt, nisi
virtutes
multorum
adfin.

Virtus con-
sensum effi-
cit, vitia
pugnas.

Vitia in me-
diocritate
non serua-
tur.

§. 3. Quin etiam cap. 18. negat posse populo restitui libertatem, si moribus corruptis sit. At ego pari modo concludo, nec regnum, cum summa est morum corruptio, posse conseruari. Cur enim non potest populi libertas in summa corruptela conseruari? Respondet ille. Quia vix vlla leges populi summam corruptelam frenare queunt. Nam neque boni mores in ciuitate absque bonis legibus: neque bonae leges, nisi per bene moratos homines conseruantur. Optime plane, sed pro veritate, contra propria statuta. Bonae igitur leges egent bono custode, bono vindice, ille autem non est princeps malus. Tempore Caligulae summa erat corruptela, bonae leges, pessimi mores; accessit princeps turpissimus, qui aerarium exhaustit, ducenta militum millia occidit, senatum concidit, quid si diutius viuere, & imperare potuisset, premente inopia, crescentibus libidinibus, efferata crudelitate, nonne Romam in solitudinem redegisset? Vitia ergo Rempublicam perdunt, virtutes conseruat, ac muniunt. Naturae vocem audiamus, testabitur illa contra Deum, & naturam esse vitia, ideoque non posse, nisi virtutibus misceantur, consistere. Duo sunt autem peccatorum genera, alia enim in corruptelis flagitiorum, alia in facinoribus nocendi cernuntur. Vtraque malitia sua rempublicam euertunt, celerius illa, quae in alios iniuriola sunt. Haec enim cum odiosa sunt, & offendant, necessario caritatem violant, inimicitias, & bella concitant, odioque & furori genus humanum committunt. Itaque hinc oritur laetorum vindicta; vel fuga, si vindicta desperatur, aut caro statuta creditur. Domum, aut exercitum ostende dissidentem, ciuitatem in se conuersam, non nisi facta pace seruari posse intelliges; at crimina omnibus molesta sunt, saepe etiam illis quibus profunt. Si igitur virtus exulat, sunt omnes in republica iniusti, auari, libidinosi, meticolosi, iudicia perdatiora, lege victa, non potest hinc vitia stare ciuitas. Eleganter & sapienter Seneca lib. 2. de ira cap. 31. Nefas est nocere patri: ergo cui quoque, nam hic pars patriae est. Sanctae partes sunt, si vniuersum venerabile est: ergo & homo homini. Nam hic in maiore tibi vrbe ciuis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Vt omnia inter se membra consentiant, quia singula seruari, totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad eum geniti sumus. Salua autem esse societas, nisi amore & custodia partium non potest. Ne vi-peras quidem & natrices, & si qua morsu aut ittu nocent, effligeremus, si vt reliqua mansuefacere possemus, aut efficere, ne nobis aliisue periculo essent. Ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccauit, sed ne peccet: nec vquam ad praeuertum, sed ad futurum poena referetur, non enim irascitur, sed cauet. Nam si puniendus est, cuiusque prauum maleficumque ingenium est, poena neminem excipiet.

§. 4. Ratione iuuat experientia. Si semel vitia admittuntur, pbanturque; quia aliquando, pfuisse putantur, certe crescentia ferri non possunt. Prisco saeculo in exigua Romana luxuries aqua ludebat, gestasse aureum annulum, extruxisse suburbanum, coenasse decem assibus magnum erat. At postea viationes calcabantur, in mare moles regia iaciebantur, prouinciarum vectigalia in vnam caenam congeriebantur, ita fastus, ita rapina, ita crudelitates creuerunt. Quid? anne etiam tam adultis, tam grandibus malis regnantibus salua esse respublica potest? Si non potest, initiis occurratur, quia corroborata aut vincunt, aut maiore detrimento vincuntur. Habent hoc ciuitates, & regna, vt cum longius a virtute recesserint, velut nimium inflata corpora rumpantur: Habent hoc vitia vt non consistant. Regnare nequitiam, in deterius labi res humanas, & in omne nefas ruere, antiqua est querela. Non stant loco vitia, sed vsu, & impudentia fiduciam capiunt, gena sunt vitia, non

nisi aliena iniuria aluntur, procedunt, augenturque, Si naturam donec diuina vindicta opprimantur. Cum igitur vitia de-natura virtutem suadeat, atque adeo vim suam in struunt, nobis iudicet, vt etiam, quod facere non possumus, quanto magis aut nolimus recte tamen factum in aliis iudicemus. Si Rempublicam. Et vere dixit Iuuenalis:

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.

Pugnat igitur cum natura, cum omnium sapientum sensu, qui in Republicam scelera, & virtutis simulationem inducit.

C A P V T V.

Sine vera virtute & pietate non posse Rempublicam gubernari, docetur ex sacris literis.

§. 1. Sine vero de Deo sensu, & cultu, sine religio- Quo maiora sunt vitia eo maiora Reipublicae damna. ne, sine iustitia prudentia, temperantia, fortitudine, atque vno verbo, sine vera, solida, ac genuina virtute, non posse esse vllam Rempublicam, diu felicem, sed cum multis seditionibus, bellis, incommotisque, confictari constat eoque, magis, quo magis a virtute recedit, minora vero experiri ea mala; si virtutum quarundam possessionem vtcunque tueatur.

Primum ea de re Deum audiamus, numen sanctum, Deum quem esse, & remuneratorem esse credimus, qui vero id non credunt, vltorem sentient. Hoc tamen volo. Non regna semper ob iustitiam dari, cum truculentissimos hominum videam imperitasse; sed non esse nisi miserrima regna, in quibus vitia magna dominantur; & per vitia regna euerti. Monet Israelitas Dominus, Deut. 9. 4. Ne dicas in corde tuo, cum Non sunt deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo. Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietatem suam ista deleta sint nationes. iustitia.

Neque enim propter iustitias tuas, & aequitatem cordis tui, ingrederis vt possideas terram earum; sed quia ille egerunt impie, introeunte te delecta sunt. Grauius erant Israelitarum scelera, vt mortem mererentur, nedum ter- Minus marentur omnium optimam; sed propter Abrahamum & Patriarchas, Mose deprecatore venia, & Palaestina data est, deleta vero gentes numerosissimae, & fortissimae, propter impietatem, quae iam completa erat, nam tempore Abrahami nondum fuisse completas, docet idem oraculum, Gen. 15. 16. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum vsque ad praesens tempus.

§. 2. Huc tota pertinet illa Moysi Concio, quae est Deut. 11. 12. 13. & praecipue cap. 28. Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quae ego praecipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsores cunctis gentibus quae vertantur in terra. Venientque super te vniuersae benedictiones istae, & apprehendent te: si autem precepta eius audieris, Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terrae tuae, fructusque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caula ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedicta reliquia tuae. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient a facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedictusque tibi in terra quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populo sancto, sicut iurauit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius. Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini in-